Reel Contents

Reel Contents (2)

11. Vollgraff, J. C. / Studia palaeographica
12. Tartara, A. / Animadversiones in locos nonnullos Valeri Catulli et ...
13. Tausendfreund, H. / Vergil und Gottfried von Monmouth
14. Teichmüller, F. / Stertinius
15. Süss, J. / Catulliana
16. Süss, W. / Ethos: studien zur älteren Griechischen rhetorik; ...
17. Arrian / Arriani Ton met' Alex'andron libri septimi fragmenta e codice ...
18. Rainfurt, A. / Zur Quellenkritik von Galens Protreptikos
19. Quicherat, L. / Introduction à la lecture de Nonius Marcellus
20. Schuppe, W. / Die Aristotelischen Kategorien

DE PLATONIS

Menexeno

DISSERUIT

Dr. R. ONORATO



CERAUNILIÆ
APUD PESCATORE ET RINALDI
MCMVII.

DE PLATONIS

Menexeno

DISSERUIT

Dr. R. ONORATO



CERAUNILIÆ
APUD PESCATORE ET RINALDI
MCMVII.



IN hominibus semper fuerunt tragicus quidam mortis terror et angor. Omnes enim apud tumulos non possunt quin ingemiscant atque maereant; at novas tunc animi vires nobis, cum memorias laudesque mortuorum, perinde ac si quid vivi retinere velimus, conquestu exprimamus, benigna solamina parant. Hi motus, quos Fati ineluctabiles vices in animis hominum a remotissimis temporibus elicuerunt, et sepulcrorum religionem et poetarum divina carmina inspiraverunt. Ita primum θρῆνος et 'επικήδειος orti sunt, quibus definiendis Proclus (1), quippe qui melica poemata in classes distribuere voluit, quod fortasse ante alexandrinam ætatem factum non est, operam dat. Definitio *epicedii* periit, *threni* haec est: διαφέρει... τοῦ 'επικηδείου ὁ θρῆνος, ὅτι τὸ μὲν 'επικήδειον παρ' αὐτὸ τὸ κῆδος, ἔτι τοῦ σώματος προκειμένου, λέγεται, ὁ δὲ θρῆνος οὐ περιγράφεται χρόνῳ. Mortuorum tamen lamentatio, quae credibiliter antiquitus pars exsequiarum fuit, antequam in modis melicis artis formam inveniret, heroicis hexametris atque elegis ingemuit. Qui vero cum laudem continerent, in funere, ut contra *threnus* et *epicedius*, non canebantur. *Threnum* ex Ω, vv. 720 - 76 antiquitus fuisse *amoebaeum*

(1) Westphal, Scriptores metrici graeci, in Bibl, Teubn., I, pag. 243.

deducimus: chorus enim hominum lamentationes incipiebat, feminae plorantes respondebant. Ex homerica descriptione utrum ad ea carmina, quae popularia vulgo nuncupantur, threnum referri debeat an non, adfirmare nequimus. Alio loco - H, vv. 421 - 32 - milites in proelio occisi sepulturam habent, non laudes. Ad tumulum Patrocli contra — Σ, vv. 315 sqq. — Achaei totam noctem plorant, Pelide lamentationem inchoante. Heros quae Menoetio promiserat recordatur, se gloria et praeda onustos redituros; at Troia nondum capta est, at Patroclus mortuus et sui ipsius fatum imminet. Dein mortuus heros detergetur atque in feretro compositus a Myrmidonibus defletur. Briseis iterum lacrimis occisum plorat heroa — T, vv. 282 sqq. — memor solatii, quod sibi marito et patria orbatae Patroclus largitus erat, et laudes miscet: Πάτροκλέ μοι δειλῇ πλεῖστον κεχαρισμένε θυμῷ - v. 286 - ; ὄρχαμε λαῶν - v. 289 - ; σ' ἄμοτον κλαίω τεθνηότα, μείλιχον αἰεί - v. 300 -. Ancillarum gemitus sequuntur et Achillis eiulatus, cuius acerbissimis doloribus lenimentum afferre conabantur. Sed maioris est momenti lamentatio, quam supra recordati sumus, in XXIV Iliadis libro. Hectoris corpore in bene confecto toro composito, cantores *threnos* praecinunt atque a feminis ingementibus lamentationes iterantur. Deinde Andromacha simpliciter et anxiis verbis casus suos miserandos memorat: laudatio est in omnium patriaeque perniciei praesagio — vv. 729 - 30 —:

ἦ γὰρ ὄλωλας ἐπίσκοπος ὅς τέ μιν αὐτὴν
ῥύσκευ. ἔχες δ'ἀλόχους κεδνὰς καὶ νήπια τέκνα.

Inter novas futurae cladis imagines et solatia ex memoria crudelium oblectationum hausta miscentur - vv. 737

- 39 - :

μάλα πολλοὶ Ἀχαιῶν
Ἕκτορος ἐν καλάμῃσι ὀδὰξ ἕλον ἄσπετον οὖδας.
οὐ γὰρ μείλιχος ἔσκε πατὴρ τεὸς ἐν δαῒ λυγρῇ.

Et mulieres iterum ploratus extollunt. At cur haec omnia repetam magnificamque scenam describam, quae finem magno cum gemitu praeclaro poemati imponit?

Postero tempore *threnus* peculiarem formam lyricam assecutus est, primumque quod exstet huius generis exemplar est fortasse (1) Simonidis funebre carmen (2), quod ad Thermopylas mortuos immortalitate dignos heroas celebrat. Aliae autem Simonidis threnorum reliquiae ad nos pervenerunt, et illius celeberrimi fortasse de Scopa suisque, super quos cænaculi laquearia cecidisse traditum est, et alterius egregii carminis, ex Schneidewini sententia, in iuvenem morbo aut bello peremptum compositi. Dignum est quod notetur fragmentum; Ὅτε λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ..., quod Schneidewinus cuidam *threno* propter quempiam Scopadum aut Aleuadum composito adscripsit: continet fragmentum fabulam Danaës. Si nobis integri *threni* Simonidis servati essent, et in hoc genere, ut communiter in poesi melica, magnam fabulas habuisse partem omni asseveratione adfimare possemus; exemplum hoc quadam tenus in eandem sententiam coniectura venire nos aequum esse demonstrat; ideoque, hoc mihi persuasum est, haud

(1) Cfr. Cosattini, Lisia, L'epitafio, Firenze, 1901, pag. IX.

(2). Haec et aliae reliquiae in omnibus Graecorum melicae delectibus exstant, quorum ab antiquissimo ad recentissimos sunt citandi: Schneidewin, Delectus poesis Graecorum elegiacae, iambicae, melicae, Gottingae. 1838 - 99; Hiller, Anthologia Lyrica, Lipsiae, 1897; Michelangeli, Frammenti della melica greca da Terpandro a Bacchilide, Bologna, 1889 - 97; Smith, Greck melic poets, London, 1900; Taccone, Antologia della melica greca, Torino, 1904.

procul veritate nos abituros cum fabulam, quae adeo epitaphium pervasit, a *threni* analogia processisse dicamus. Ad hoc confirmandum nihil ex Pindaro colligere licet, *threnorum* enim reliquiae, quae illius exstant, tenues admodum sunt, cum tamen procul dubio ex iis sit eliciendum eum gaudia omnibus bonis referta in iucundissima vita post obitum optimis viris servata, poenasque impiis impositas frequenter poetice descripsisse (1).

Graecorum rationibus vitae mutatis, populo rem publicam administrante, atque rhythmicis modis in orationem solutam transeuntibus, *threnus*, qui nobilis natura fuerat (2), oratio funebris facta est, quae populi glorias magnificentiasque celebraret. An a rhetorico apparatu, quem epidicticum genus accepit, aliena fuerit, haud adfirmari potest. Antiquissima vero est illa Gorgiae, cuius Philostratus nobis parvas servavit reliquias, ceteris exemplar quae in patriae peremptos defensores compositae sunt (3); et peculariarem quandam structuram prodit a multis de eloquentia epidictica in disserendo notatam. In fragmento Gorgiae rerum designationibus carente, ita ut Christ de eius causa dubitet (4), atque Cosattini (5) scholasticam exercitationem tantum fuisse putet, ἀντίθετα, ἰσόκωλα, ὁμοιοτέλευτα, illi rhetorici flosculi Siculorum redundantis eloquentiae congesti sunt.

---

(1). Pindari carmina cum deperditorum fragmentis selectis, iterum recognovit W. Christ, Lipsiae, 1904, fragg. 129, 130, 132, 139.

(2). Cosattini, op. cit., pag. IX.

(3). Christ, Griechische Literaturgeschichte, München, 1905, pag. 378.

(4). Op. cit. loc. cit.

(5) Op. cit. pag. 117.

Periclis vero funebris oratio nil aliud est nisi inventum antiqui rerum scriptoris (1), qui suam gravem eloquentiam tumidae atque artificiosae Gorgiae dicendi arti opponere videtur.

Pericli sufficere videtur peremptorum memoriam atque memorabiles res gestas monumentis commendare potius quam unius verbis ineptis virtutem complurium enarrare. At vero Thucydides, temporibus quibus Periclem loquentem fingit, merito potest elato animo res civitatis celebrare; sed temporibus quibus Lysias idem agit, hoc Platoni nec aequum neque bonum videri potuit, quam ob rem philosophus in Menexeno potius quam celebrare mihi Athenienses incitare videtur, ut digni maioribus fiant.

Pericles autem orationem a maiorum laudibus incipit, cum sibi illos qui urbem liberam tradiderint memorare necesse videatur. Eos dignos esse qui laudentur adfirmat, eo quod imperium, quod maximas inter difficultates periclitans acceperint, integrum auctumque posteris tradiderint. Orator tamen in rebus notis non cunctatur, at causas publicae felicitatis inquirere suum putat, easque in Atheniensium rebus civilibus populari regimine nisis esse adfirmat. Plato idem sensit, rem publicam tamen optimatium dominatum libentius appellavit, cum summos rei publicae honores adipiscerentur optimi quique, sive qui tales essent habiti. Est etiam notandum eadem Platonem atque rerum scriptorem asseverare, Athenis omnes et humili genere et pauperes summa rei publicae munera capessere posse. Sunt qui Platonem per iocum hoc dixisse asserant. Quod si verum est, et a Platone serio dictum esse existimandum, sin falsum, ironiae causa plane est fictum et apud Platonem et apud Thucydidem.

---

(1). Wilamovitz - Moellendorff, Griechisches Lesebuch, Berlin, 1902, I, pag. 130.

Sunt denique nonnullae aliae similitudines inter Menexenum Periclisque orationem, cum Pericles Athenienses se magis libertati quam utilitati fideles servavisse atque patrum non esse fortunam deplorandam adfirmat.

Ceterum Periclis oratio civilis est; cum civilis vir Atheniensium instituta et leges exponat eorumque animos describat, atque cum civitate mortuos concelebret. Orator fabulas antiquas laudibus non cumulat, at ex rerum civilium rationibus atque civitatis vita materiem laudationis excerpit. Ob id quoque, locis quibusdam exceptis, Periclis laudatio aliis longe dissimilis est.

Lysiae epitaphius sequitur, (Τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς), cuius causa omnibus patet. De auctore atque aetate optime Cosattini (1) disseruit, qui etiam in commentatione sua omnes generis epidictici adfinitates monstrat. Orator in proëmio quadam veritatis superlatione atque traiectione, cum omne tempus ad dignam orationem de rebus gestis scribendam non suffecturum esse asserit, tum civitatem sibi minimum temporis spatium concessisse queritur. Dein orator novo et iucundo dicendi artificio tantam esse mortuorum virtutem asseverat ut, quamvis de ea complures sint locuti, adhuc multa enarranda relinquantur. In propositione Lysias, cum forsitan ad funebris orationis formas accedat, transgressione quae mihi minime naturalis videtur res praeclaras a maioribus gestas recordari statuit — ἄξιον γὰρ πᾶσιν ἀνθρώποις κἀκείνων μεμνῆσθαι... (2) incipitque ab Amazonum fabula. Quas dicit animo et

(1). L'epitafio di Lisia e la sua autenticità, Studi italiani di filologia classica Firenze 1899. VII pagg. 1 - 36; atque; op. cit. pag. XII.

(2). Cosattini - op. cit, pag. 36 - interpretatur κἀκείνων «ibi sepultorum». Cur non illud maioribus «προγόνων» referamus?

progressu in arte pugnandi facto, omnes finitimas gentes in suam potestatem redegisse, ut sibi potius homines animo quam feminae natura viderentur. Laudibus Atheniensium auditis, maioris gloriae libido eas incitavit ad bellum in ipsos inferendum cum ferocissimis suarum regionum gentibus, quas Isocrates, cum idem repetat, Scythas fuisse dicit (1). Lysias Amazonum facinus cupiditati gloriae militaris adscribit, ut recordatio omnino Atheniensibus laudi sit, totusque locus verborum contentionibus est refertus. Nec fabulam breviter tantum attingit, sed etiam laudum circuitionibus singillatim enarrat, quod et Isocrates facit qui pariter contentionibus utitur; at non ita rhetorice res ornat, neque ita vagus est in fabula enarranda. Sequitur narratio Thebanorum belli, quod inlatum est ut Argivis sub Thebis fatali Eteoclis et Polynicis conflictu caesis sepultura concederetur. Ibi Lysias traditum argumentum artificiosius tractat, cum Athenienses dicat, peremptorum sepultura a Thebanis recusata, in eos ivisse, ne illi sua scelesta immanitate magis iram deorum excitarent. Hac mente, cum communes belli fortunas existimarent (2) hostes vicerunt (3) mortuosque Eleusine sepeliverunt. Fabulam Heraclidarum Thebanorum belli narrationi insertam Lysias amplissime narrat; non ita tamen ut alii, cum Heraclidas ab omnibus Graecis, qui Eurysthei potentiam timerent, repulsos, ab Atheniensibus acceptos dicat; non quia res publica ab Hercule quiddam utile accepisset. Isocrates contra alias in

(1) Σκύθαι δὲ μετ' Ἀμαζόνων τῶν Ἄρεως θυγατέρων... Pan., XIX, 68.

(2) Hoc Isocrati commune est, XV, 55; Plutarcho, Vit. Nic., 27: κοιναὶ αἱ τύχαι τοῦ πολέμου.

(3). Cosattini quiddam simile in Demostheni adscripto epitaphio notat, qui mea quidem sententia oratori abiudicandum est,

Eurystheum belli causas profert, cum Heraclidas ad Athenienses confugisse asseveret, qui Herculis beneficiorum gratia auxilia tulerunt. Apertum est Lysiam maxima Atheniensium praedicatione locutum esse. Rhetorica contentionum abundantia sedulaque verborum consecutione sunt qui sequuntur orationis loci digni qui notentur. XV *paragraphus* porro, quem lectionum discrepantia alii alio modo interpretantur, hanc tantum significationem aptamque lectionem mihi habere videtur: sic alte sentiebant ambo (sc. Eurystheus et Athenienses) ut qui cum Eurystheo essent nihil ab Atheniensibus sponte obtinere vellent, at illi existimarent supplices suos Eurystheo non concedendos, etsi ipse supplex esset. Haec una interpretatio quandam verborum sententiarumque contentionem laudativa cum vi conciliat, quae et hic oratori, praeter a Cosattini (1) notatam figuram, exquirenda erat. Lysias autem et aliud quiddam de fabula argumentatur, Atheniensium gratia Herculis et Heraclidarum diversas sortes virtutemque comparando. Deinde Athenienses esse aborigines et hinc eorum humanitatem causam habere recordatur, quod et in aliis funebribus laudationibus et in Panegyrico est. Nobili genere et concordia illa praeclara facinora eos perfecisse dicit, mirabilia esse tamen quae sint a minoribus patrata. Hic orator, cum sepultis in Ceramico excellentiam tribuat, flocci maiorum memorias facere videtur, quod contra non est apud Isocratem, qui scribit: Ἐκεῖνοι γὰρ ἦσαν οἱ προασκήσαντες τοὺς ἐπιγιγνομένους καὶ τὰ πλήθη προτρέψαντες ἐπ' ἀρετὴν καὶ χαλεποὺς ἀνταγωνιστὰς τοῖς βαρβάροις ποιήσαντες. Itaque cum Lysiae hoc unum in animo sit Athenienses magis magisque praedicare, Isocrates cau-

(1) Op. cit., pag. 51.

sas Atheniensium virtutis exquirere contendit, ita ut apud illum modo elenchus quod apud alterum sapiens continuatio seriesque rerum sit. Epica bella in Barbaros amplissime in epitaphio narrantur, atque aptissimis rhetoricis floribus narratio exornatur, sed quae omnia ex oratoris mente quiddam fulgoris rebus gestis minuere possent, ea silentio praetermittuntur. Rex Asiae ad Europam subigendam exercitum innumerabilem ducit et Athenas primum aggreditur, ratus civitatem illam Graeciae propugnaculum esse, quod et Isocrates, cum de Amazonibus loquitur, dicit (XVIII, 68). Athenienses periculi incuriosi (1), gloriae desiderio flagrantes, ut orator adfirmat, ne aliis quidem salutem debere passi sunt, atque fisi se nihil maius sociis adiuvantibus gesturos esse (2), in Barbaros agmine incesserunt et Graeciae simul hostium adventum cladenique nuntiarunt, quod et Isocrates, qui potius Lysiam quam Herodotum secutus est, narrat (3). Xerxis expeditio sequitur, quam Isocrates quoque, qui brevior tamen est quam Lysias, narrat. Pons inter Asiam Europamque iniectus memoratur; de Phocaensibus autem, quos Herodotus Isocratesque — IX,17, XXV,90 — contra Persas stetisse narrant, nulla mentio fit, nec periculum divisum fuisse, cum Lacedaemones ad Thermopylas Atheniensesque ad Artemisium pugnarent, satis notatur. Patet hic Lysiam maiore studio atque indulgen-

---

(1) Contextus hic haud certus est. Reiskii lectio est praeferenda — εἰδότες, ὑπεριδόντες.

(2). Athenienses fisi sunt quoque ψυχὰς ἀλλοτρίας διὰ τὸν θάνατον κεκτῆσθαι, quod cum quibusdam Isocratis et Thucydidis locis plane convenit: Pan. XXIII, 86; Hist. I, 70.

(3). Ex Herodoti narratione novem dies exercitus adversum steterunt — VI, 110 —.

tia enarrando uti quam Isocrates adhibuerit, qui tamen ad Artemisium pugnam cum rebus ad Thermopylas gestis componere voluit (1), cum Atheniensium triremes LX fuisse scripsisset — at enim CXXVII erant, Herodoto teste, VIII, I — vel CXL — teste Diod., XI. XII — nec non sociorum mentionem omisisset. Persarum denique promissa Lysias Isocratesque — XXVI, 94 — ante Salaminiam pugnam facta esse memorant. Pugna Salaminia in funebri laudatione rhetorice describitur. Orator summo colore et fuso orationis genere certamen horrendum illustrat ac monstra, quae sunt ab Herodoto descripta (2), recordatur; at praecipue de Graecorum classe, de omnium precibus ac strepitu loquitur, quae Isocrates omittit, sua enim potissimum, quae Athenienses esse dignos principatu demonstrent, in lucem trahere interest. Isocrates autem — XXVI, 93 — sicut Herodotus, ante, Lysias contra post Salaminiam pugnam murum in Isthmo exstructum adfirmat. Res in Corinthios gestas deinde orator narrat civitatemque, tota Graecia liberata, per LXX annos maritimi principatus pacem cum sociis servasse dicit, quod Isocratis oratione Thucydidisque narratione infirmatur — IV,120; V. 32; 34 - 116 —. Opinionis error (hic alioqui et apud Isocratem — XXXIII, 118; XXXIV, 120 — qui, ut postea Diodorus — XII, 26, 2 — pacem Cimonis Antalcidaeque commemorat; apud Demosthenem — XIX, 273 — ac Lycurgum — Leocrat., 73 —) est quoque mentio cuiusdam pactionis a rege Persarum cum Graecis factae, ne mare Græcum navigaret neve triremibus ab Asia Cyaneas Chelidoniasque insulas superaret; quæ omnia nunc repudiantur, cum eadem Herodotus

(1). V. Setti, Isocrate, il Panegirico, Torino, 1886, pagg. XIX.50.

(2). V. Herod., VIII,65,84. De his rebus Plutarchus quoque: Vit. Them., XV, 1 - 2.

Thucydidesque haud recordentur atque Plutarchus (Vita Cimonis, XIII, 6) ficta putet. Orator denique non potest quin Aegosfluminis cladem civitatisque casum memoret; haec tamen quam paucissimis absolvit, atque calamitate illa perspicuum esse adiungit Graeciae libertatem in Atheniensium opes niti, quibus eversis, Graecorum urbes captae sunt, ita ut merito Graecia ad Ceramici monumenta suas comas tondere posset, simul cum peremptorum virtute libertate sepulta (1). Orator putat se a proposito declinare cum de Atheniensium tristissimis vicibus loquatur; res dein Piraei a popularibus viris gestas narrat. Sequitur id quod orationis propositum erat. Lysias dicit eos, qui Corinthiis subventum missi sunt ac morten occubuerunt praeclaram virtutem ostendisse, cum non modo pro patria, sed etiam pro iis qui antehac hostes fuerant, discrimini occurrissent. In lamentatione peremptos non esse lugendos asseritur, cum apud omnes sint in honore atque precio ita ut, natura mortales, veluti immortales virtute celebrentur. Alii rhetorici flores iucunde dispositi funebrem orationem concludunt.

Haec est oratio pro caesis in bello Corinthiaco dicta, pro quibus, ut facile est cognitu, Platonis Menexenus fictus est. Quomodo varie de auctore fuerit disputatum, est notum. Eugenius Ferrai, qui de re diffuse agit (2),

(1). Hic a Wilamowitz lectionem propositam probo, non quia, αὐτῶν ab Erdmann et Schöll expuncto, Graeciae nomen repeti non possit, at eo maxime quod ex constructione ad sensum, ut optime notat Cosattini — op. cit., pag. 95 — quaedam verborum contentio nascitur, quae Lysiae dicendi artis est.

(2). Dialoghi di Platone novamente volgarizzati, Padova, 1874, III, pagg. 501 - 509.

dialogum Platoni adscribit, itemque Cosattini (1), qui antiquam divulgatamque opinionem secutus est, quam Blass (2), Diels (3) atque Wendland (4) probarunt. Bergk (5) dialogum iocum (παίγνιον) esse putavit; praesens opus autem cuidam attribuit, qui pietate erga magistrum, ne Platonis scriptura evanesceret, eam cum dialogi initio connexuisset, minime ratus ita operis summam deformari. Haec opinionum commenta ac quasi somnia sunt; cum fundamentis careant ac temporum ordine minime servato nihil sit sane inferendum (6). Denique Guillelmi Christ (7) sententia quadam praeiudicata opinione manat, quam ei forsitan Dionysius inspiravit, cum Menexenum cum orationibus Demosthenis comparet.

Ut paucis absolvam haec dialogus continet. Socrates in Menexenum incidit, qui ei interroganti cur in senatum iverit, patribus oratorem designandum, qui peremptorum laudationem componat, rem tamen procrastinatam esse respondet. Socrates dulce et decorum sibi asserit videri pro patria mori, cum pauperes atque humili genere nati sumptuosae sepulturae et sapientis orationis honore afficiantur. Et antiqui hic Socratem μετὰ παιδιᾶς atque quadam subtili ironia loqui senserunt (8): apertum est Socratem laudationum rhetoricas ampullas probare non posse. Laudum illecebras, eo perniciosiores populari-

---

(1). Platone, Il Menesseno, Firenze, 1901, pagg. XIX - XX.

(2). Die Attis. Beredsamkeit, II, 431 sqq.

(3). Das 3 Buch der Arist. Rhetorik, pagg. 21 sqq.

(4). Die Tendenz des Plat. Menexenos, Herm. 25, pagg. 171 - 195.

(5). Griech. Litteraturgeschichte, IV, 460.

(6). V. Zeller, Ueber die Anachronismen in den Platonischen Gesprächen, Berlin, 1872.

(7). Griech. Lit., pag. 468.

(8). V. Plutar., Vita Periclis, XXIV.

bus animis quo maiore artificio profusas, earumque consecutiones subtili atque callida ironia philosophus commentatur, qui subito nobilior et pulchrior sibi ipsi videri dicit. Crescit autem ironia, cum Socrates et urbem oratoris verbis magis quam antea dignam admiratione effici alienigenas existimare dicat, atque illam opinionem plus quam tres dies manere, at quarto sive quinto die veri sensus in pectora redire adiungat.

Rhetorum irrisionem Menexenus intellegit. Hoc vero est considerandum, cum etiam nunc Socratis ironia talis sit ut ab iis, qui loquentes introducuntur, discernatur. Et talem esse debere ex proposito adparet quod Plato Socrati adsignat atque Socrates minime assecutus esset, si sermones adversariorumque refutationes non intellegerentur. Asserit etiam Menexenus orationes 'εκ πολλοῦ χρόνου esse paratas, difficile tamen tunc futurum oratoris munus cum ex improviso orator designatus sit (1). Dignum est autem consideratione quod Socrates respondet (ita sophistarum ingenium consuetudinesque patefacit, qui ad omnes res aptas orationes habent): cuique rhetori iam dudum paratas esse orationes, neque eas ex improviso componere esse difficile, quae de rebus agant, quas animi, blanditiis laudum illecti, grate audiant; diserto oratore opus esse, cum Athenienses coram Lacedaemoniis sive Lacedaemonii coram Atheniensibus loquuntur. Ex Socratis sententia (ita nos interpretamur) orationes componere, quae sint ab omnibus probandae, quamvis alii aliis studeant, hoc opus, hic labor est. Sequitur nunc id quod, ut dialogum percipiamus, maxime interest. Menexenus interrogat an Socrates laudationem ex improviso componere facile putet. So-

(1). Hic interpretari debemus, si certam designationem procrastinatam esse intellegere volumus, sententiis modo dictis senatum dimissum esse.

crates respondet se hoc difficile non credere. At Menexenus sitne ipse idoneus rogat, si senatus eum designaverit. Socrates mirum non esse adfirmat se, dicendi arte a magistra institutum, quae eloquentissimos oratores, inter omnes Periclem, edocuerit, loqui posse. Menexenus intellegit opertam Aspasiae designationem Socratesque adiungit se a Conno musica imbutum esse. Quam ob rem philosophum hoc loco, cum se doctum esse dicat rhetoricam ab Aspasia, musicam a Conno, quem postea comici irriserint (1), facetiis uti nonnulli rentur; nobis tamen non est omittendum Aspasiam Athenis gratia et auctoritate (2) floruisse, atque Socratis familiares eius domum frequentasse et uxores, quae eam audirent, duxisse (3). Omnes antiquitatis memoriae eam marito rei publicae administrandae rationem prudentiamque civilem inspirasse, ita ut sibi ille devotissimus esset, neque domo exiret neque domum rediret quin eam oscularetur (4), atque Xenophontem eiusque coniugem morum probitatem docuisse tradunt (5). Talem mulierem Socrates iocose ludere non poterat. Neque argumento est ioci coniecturae quod comici Connum luserunt, quoniam comœdia et Socratem lusit, neque iis quos posteri prope divinis honoribus coluerunt,

---

(1). V. Cosattini, Menesseno, pag. 50.

(2). V. Chiappelli, Saggi e note critiche, Bologna, 1895 « Le donne nelle scuole de' filosofi greci » atque magni momenti opus: De Fouquières, Aspasie de Milet, Paris, 1872.

(3). Plut, Vita Periclis, XXIV: καὶ γὰρ Σωκράτης ἔστιν ὅ τε μετὰ τῶν γνωρίμων ἐφοίτα καὶ τὰς γυναῖκας ἀκροασομένας οἱ συνήθεις ἦγον εἰς αὐτήν.

(4). Plut., ibidem.

(5). V. apud Ciceronem, De invent. rhetorica, Aeschinis, Socratis discipuli, fragmentum; Quint., 11, 28; Hermann, De Aeschinis socratici reliquiis, Gottingæ, 1850, pag. 16 sq.; Poestion, Griechische Philosophinnen, 1882, pag. 135 sq.

pepercit. Cum Socrates se ab Aspasia rhetoricam artem doctum esse dicat, aut vero suam dicendi artem quodammodo Aspasiae, qua usus est familiariter, adscribit, aut verba eadem sunt vi qua aliis locis, ubi philosophus aliis doctrinas suas adscribit. Mirum non est ex philosophi sententia virum, qui talibus studiis imbuatur, aptum esse ad orationem dicendam. Hoc loco vero, ut opinor, orator significatur, qui talis sit ut ab omnibus comprobetur, Socrates enim et illum qui non ita, ut ipse (1), edoctus fuerit, aptum esse asserit, qui coram Atheniensibus loquitur, ut ab Atheniensibus laudetur. Si locum sic intellegimus, fieri non potest quin dialogum interpretemur nisi ratione illa qua epidicticae dicendi artis exemplar sapiens videatur. Multa sunt autem argumenta ex quibus hoc colligi potest; nunc tamen ad dialogum revertamur. Menexenus rogat Socratem quidne dicat, si loqui debuerit, atque philosophus, quadam sua modestia usus, respondet sibi nihil esse quod dicat, pridie tamen Aspasiam orationem dicentem audivisse, quae, cum Athenienses peremptis exsequias comparare senserit, ex tempore, quod dicere opus sit, dixerit. Manifestum est hic philosophum celeberrimae mulieri de laudatione peculiares sententias adscribere, cum rhetorum consuetudinibus, quas antea irrisit, ea opponit quae, ex Aspasiae sententia, dicere opus sit οἷα δέοι λέγειν. Socrates leve esse asserit munus illud Aspasiae, quae Periclis laudationem recordetur, et ita Menexeno credibile facere vult ab Aspasia esse orationem compositam. Cosattini (2) putat Socratem, qui Periclis laudationem, primo anno belli Peloponnesiaci de mortuis compositam, Aspasiae esse dicit, minime arduam esse rhetorum artem, cum sit eius generis orationum exem-

(1). Hic mihi Lysias significari videtur.

(2). Op. cit., pag. 52.

plum ex muliere sumptum, significare, atque similitudinem inter suam orationem et Periclis epitaphium. At vero si ille hanc similitudinem significare vult, qui fit ut socratica oratio epidictici dicendi generis depravata imitatio intellegi possit (1)? Praeterea si, cum Socrates dicat Aspasiam fragmentis epitaphii a Pericle compositi esse usam, illud Aeschyli ab Athenaeo relatum (Deipnos., pag. 347 A) recordatur, tragœdias suas esse « τεμάχη τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων », iocus (2) praesumptus non amplificatur, quoniam verba illa serio sunt dicta et ita intellegenda sunt. Socrates postremo, cum se languide defendisset, continenti spiritu orationem pronuntiavit.

Orator sibi quem ad modum sit laudatio incipienda praescribit, atque κατὰ φύσιν se processurum esse adiungit. Itaque ab initio sapiens ordo rerum narrationi est impositus, quae a laudibus incipit Atticae, unde virtutem nobilitatemque maiorum nasci asseritur. Laudes Atheniensium rei publicae, utpote quae civium virtutem fulciat, sequuntur. Ex Socratis sententia instituta et leges sunt quae homines educent, atque Atheniensium res publica fere continuo fuerat eratque optimatium dominatus, quamvis alii eam popularem civitatem appellarent (3), cum omnes eodem iure fruerentur et virtute et fama ita bene mererent, ut summis muneribus praefici possent. Paene idem quoque Pericles ait apud Thucydidem (4), quem Cosattini (5) ad singularem quandam perfectionis imaginem rem fingere adnotat, cum tamen haec eum iocatum esse addere non possit.

(1). V. op. cit. praefationem.
(2). Cosattini, op. cit., pag. 52.
(3) Thucyd. II, 37.
(4) Ibidem.
(5) Op. cit., pag. 65.

Eadem vero sunt nobis de Platonis loco asseveranda; philosophus enim res gestas ad fidem historiae narrat, quod est manifestum, cum Atheniensium rei publicae formam eandem fere continuo (ὡς τὰ πολλά) fuisse commentetur. Hic res ab Eumolpo, ab Amazonibus ab Argivis Heraclidisque gestas breviter perstringit, quas poetas cecinisse dicit et ob id multa referre non oportere (1); deinde ad heroica proelia in Persas transit, carminibus carentia (2), quae fere in oblivione iacebant (3). Datidis in Eretrienses Atheniensesque expeditio pluribus verbis explicat; huius enim causas et quo modo sit confecta (4) sub oculos subicit, cum Graeci ab illis qui ad Marathona certarunt omnes copias omnesque opes cedere virtuti didicissent.

(1) Luchaire — Ménexène, Paris, 1899, pag. 23, n. 2 — dicit eum multum in hoc fuisse, sed si quae Socrates et Lysias dicunt comparamus, sententiam veram non esse adparet, neque mihi « ταῦτα μὲν διὰ ταῦτα δοκεῖ μοι 'εᾶν » pravum rhetoricumque artificium videntur.

(2) Luchaire — op. cit., pag. 23, n. 3 — Persas Aeschyli, neque res a vero abhorret, memorat; sed etiamsi philosophus inter laudationes rerum gestarum illas poematis tragicis factas numerare velit, pro ce to adfirmare licet epica in Persas facinora propter Aeschyli tragœdiam atque Phoenissas Phrynici tenuiorem gloriam assecuta esse. Res autem ad Marathonam, ad Artemisium, ad Plataeas gestae nondum a poetis erant celebratae.

(3) Cum Hermanno atque Stallbaum — Plat. op. Lipsiae, 1885, IV — antiquam lectionem 'εν 'αμνηστείᾳ praefero. Verum est lectionem Schanzii, quam Luchaire et Cosattini sequuntur, imaginem fingere, quae convenire videtur cum προμνώμενον; lectio tamen adhibenda antiqua est. προμνώμενον translationem cum 'εν μνηστείᾳ inceptam non continuat, cum enim, sicut Cosattini intellegit — op. cit., pag. 71 — committere, hortari significet. Si caret vi, quae translationem continuet, cur dicitur translatio esse continuata?

(4) Luchaire — op. cit., pag. 26, n. 6 — et Cosattini — op. cit., pag. 73 — philosophum ab Herodoto, qui vero VI dies Eretrienses restitisse dicit, quo violentior Persarum impetus videatur, de indu-

Quam ob rem philosophus maiores, qui ad Marathonam strenue pugnaverunt, vitae et libertatis parentes esse proclamat. Hoc cum verum est, tum quadam orationis elatione atque inflatione expressum, neque id Luchaire (1) negare potest, quamvis gallica audacia Menexenum *discours-pastiche* appellet (2). Ille autem locum qui victorias ad Artemisium et ad Salamina concelebrat male interpretatur. Ibi illos in primis qui ad Marathonam, illos deinde qui ad Salamina certaverunt atque ad Artemisium laudandos esse asseritur. « Multa verba de iis viris esse facienda, quot pericula terra marique oppetiissent atque superassent ». Luchaire (3) obscurum esse quas significent res verba κατά τε γῆν atque contentionis gratia cum κατὰ θάλατταν scripta esse adfirmat. Cosattini (4) idem notat; at vero verba τούτων τῶν ἀνδρῶν eos qui ad Marathonam (ἐκείνοις membri superioris verborum ambitus) eosque qui ad Salamina et ad Artemisium pugnaverunt (τοῖς περὶ Σαλαμῖνα alterius membri eiusdem periodi) significare patet. Haec interpretatio rebus quae in capitis fine dicuntur satis mihi confirmari videtur: Graecos terra ab illis qui ad Marathonam, mari autem ab illis qui ad Salamina vicerunt Barbaros haud timere didicisse (ὑπὸ μὲν τῶν κατὰ γῆν.... ὑπὸ δὲ τῶν κατὰ θάλατταν), neque hoc, nisi omnia me fallunt, in dubitationem potest adduci. Vero tamen si gallici censoris omnes lapsus refellere velimus nimis longum faciamus.

---

stria dissidere existimant. Luchaire addit - ibidem, n. 7 — ne philosophum quidem id quod de Eretria capta narrat credere. At Plato eadem de Eretria capta in Legibus — pag. 698 D — enarrat. Num igitur illic per iocum hoc erat?

(1) Op. cit., pag. 28, n. 6.

(2) Op. cit., XII.

(3) Op. cit., pag. 29.

(4) Op. cit., pag. 79.

Lacedaemones Atheniensesque, qui simul ad Plataeas victoriam adepti sunt, deinde qui ad Eurymedonta, ad Cyprum atque in Aegypto (1) decertaverunt, celebrantur. Neque orator res ad fidem historiae non narrat, cum invidia et odio, quae homines sibi in rebus secundis concitare solent (2), Athenienses invitos ad civile bellum adductos esse adfirmet; nulla enim alia de causa Lacedaemones se Thasiis postulantibus subventuros esse promiserunt (3). Lacedaemones tunc perfidi fuerunt, quippe qui aemulorum prosperis invidia flagrarent atque, confisi secreta pacta cum Thasiis ignorari, auxilia ab Atheniensibus rogare, in quos paulo ante nonnullas copias mittere constituerant, non dubitaverunt. Athenienses attamen etsi quo spectarent antiqui aemuli intellegerent, liberaliter contra Hilotas (4) MMMM militum auxiliarium miserunt, qui postea, infecta re, a Lacedaemonibus dimissi sunt, gravi iniuria ita civitati inlata (5). Tanagram denique ventum est cum Lacedaemones priores arma cepissent: hoc est historiae fide comprobatum, neque perspicimus qua re a Luchaire (6) atque a Cosattini (7) in dubitationem adductum sit. Locum autem clarissimum, quo philosophus bellum ad Tanagram ancipiti Marte (8) se-

---

(1) Iure hic notat Cosattini — op. cit., pag. 48 — qui haud omnino cum Luchaire convenit, oratorem non rerum scriptorem esse.

(2) Eadem sententiae vis est in Alighierii versibus: La meretrice che mai dall' ospizio Di Cesare non torse gli occhi.....

(3) V. Thucyd. I, CI.

(4) Thucyd., I, 102.

(5) Thucydid., ibidem.

(6) Op. cit., pag. 32, n. 7.

(7) Op. cit. pag. 85.

(8) Thucydid. — I, 108 — Lacedaemones adfirmat superiores proelio discessisse, verumtamen et Diodorus Siculus — XI, 80 — cum Platone convenit.

quentibus rebus confectum esse dicit, et ita leviter Oenophytam significat, Luchaire (1) minime intellegit, cum res ita secundas fuisse ad Tanagram adfirmari ad notet. Bellum Peloponnesiacum deinceps summatim Socrates exponit; res quoque Atheniensibus adversas breviter attingit, cum regiones Atticae a Graecis vastatas esse recordetur. Hic etiam Luchaire (2) res male intellegit. De Sphagia atque pace ab Atheniensibus concessa, quamvis superiores essent, orator quam maxime accomodate ad veritatem dicit, neque expeditionem siceliensem silentio praeterit; sed iure eos qui proeliis secundis in Hellesponto atque, cum gravius erat periculum, ad Arginussas usi sunt, magnifice concelebrat. Socrates eos semper laudandos esse asserit, cum non modo pugnam navalem, sed etiam reliquum bellum vicerint. Interpretor « τὸν ἄλλον πόλεμον » bellum esse Hellesponticum, quod supra memoratum est, narratio enim sequitur calamitatum, quae rei publicae dissensionibus tribuuntur; si philosopho esse in animo historiae fidem corrumpere concedamus, non est iure ac merito sumendum eum velle, cum a se dissideat, pugnantia loqui. Cum autem temporum memoriam replicat, rerum narrationem constanter laudes sequuntur; hoc loco laudes ex contrario rerum narratio sequeretur, si «τὸν ἄλλον πόλεμον» falsa atque obscura designatio cuiusdam rei post pugnam ad Arginussas gestæ esset. Pugna navali ad Arginussas descripta, orator denique res Atheniensibus adversas atque pacem attingit, idest Aegosflumen et Theramenae pacem anno CCCCIV factam: num simul vicisse atque fusos esse Athenienses dicere voluit? Rhetorica hyperbole, quam Luchaire (3)

(1) Op. cit., pag. 33, n. 2.

(2) Op. cit., pag. 34, n. 1.

(3) Op. cit., pag. 39, n. 4; pag. 40, n. 2. Moenium eversio est distincte memorata: v. pag. 244 C.

hoc loco esse arbitratur, simul forte dicta ac refutata esset. Civile bellum Piraei dein memoratur; quo modo autem Lacedaemones cum graecis civitatibus egerint. Philosophus conqueritur hoc uno errore Athenienses non carere, promptiores semper esse ad auxilia ferenda, quod Isocrates quoque dicit. (1) Hac iniuria Luchaire (2) in dubium vocat Athenienses non ultro bellum intulisse; neque mihi locum qui sequitur recte interpretari videtur. Persarum rex veritus ne res Atheniensibus prosperius procederent, foedus rumpere in animo habuisse dicitur, ac propter id ipsum petiisse ut Graeci continentis terrae relinquerentur. At Corinthios Argivos Boeotosque orator assensisse adfirmat, Athenienses tantum regis condiciones respuisse, et ita deinceps diis adiuvantibus bellum gessisse ut naves, moenia coloniasque servarent. Luchaire (3) coniectura assequitur hoc loco Antalcidae pacem significari atque, ab Athniensibus quoque pace illa cum Persis facta, et hic res studio haud ad fidem historiae narrari concludit; Cosattini (4) item. Sed pacem illam designari omnino est reiciendum, cum post Antalcidae pacem Athenienses nullum bellum, nisi foedere cum Thebanis icto, susceperint atque apud Platonem de novo bello neque admodum Atheniensibus adverso agatur. Tempus igitur ante Antalcidae pacem designatur, cum autem pace illa totius Graeciae libertas a Lacedaemonibus violata sit. Praeterea Antalcidae pax praecipua Lacedaemonum opera atque commodo facta est, cum loco, quo orator de Corinthiis, Argivis, Boeotisque loquitur, Lacedaemones exclusi sint, immo vero, Graecorum foedere cum Persis permanente, et inimicitiae cum

(1) Pan. XIV, 52 - 53.
(2) Op. cit., pag. 46, n. 2.
(3) Op. cit., pag. 47, n. 1.
(4) Op. cit., pag. 102.

Lacedaemoniis implicite permanent. At Antalcidae pax verbis designatur cum orator, bello memorato (1), Athenienses servasse naves, moenia atque colonias adiungit; Socrates dein, peremptis laudatis, longius fore omnes res ab Atheniensibus gestas enumerare atque (hic civibus blandiri non est iudicandus) maiorum memorias dicit incitamento esse debere. Praecepta quae patres dedere, antequam belli pericula adiverunt, repetit: se mortem inhonestae vitae anteposuisse, ratos vitam non esse degendam cum sit gens dedecore impressa; omnia esse vilia sine virtute, opes, venustatem, sapientiam (2); nati maiorum gloriam superent praeclaramque rem patriam auctam natis transmittant; patres matresque fortunam fortiter ferant uxores liberosque curae habeant; neque doloris ictu animi concidant, cum mors illa magis celebranda quam lugenda sit. Orator denique peremptorum natos ut virtutes maiorum sequantur hortatur, ac superstites curae esse rei publicae adfirmat. Communis dicendi forma « νῦν δὲ..... ἄπιτε » finem orationi imponit, qua Menexenus stupescit. Beatam, Socrates, Aspasiam efficis, inquit, si apta est quae ita loquatur. Luchaire (3) hic Socratem plane et aperte rhetores per iocum irridere Menexenumque de eius sententia atque ironia dubitare non posse adnotat (4). At vero aut Platonis oratio depravata generis epidictici est imitatio atque Menexeno, qui eam intellexisse existimatur, non est serio intellegenda; aut, qua sit vi Menexenum praeterit, qui serio orationem relatam esse atque maio

(1) Id est forsitan bellum quod Thrasibulus duxit vere anni CCCXC.

(2) Plato optime finxit ita Socratem, qui ad Potidaeam (CCCCXXII), ad Delium (CCCCXXIV) ad Amphipolim pugnaverat, locutum esse.

(3) Op cit., pag. 62, n. 3.

(4) Cosattini idem; op. cit., pag. 115.

rem quam ut Aspasia confecerit putat. Cum dein Luchaire scribit (1) *« si une femme est capable de faire un tel discours, quel mérite y ont des hommes? »* secum ipse pugnat, inculta enim est oratio, ex eius sententia, et dissipata *« discours pastiche »*.

Cosattini, cum philosophum rhetorum orationes imitari atque vitia amplificando reprehendere asseveret, non omnia tamen ficta esse putat (2). At si philosopho rhetores miserandi videbantur, ac dialogus nil aliud est nisi sophistarum dicendi artis depravata imitatio (3), qui fit ut nonnulli sint tamen loci qui maxime glorias Atheniensium concelebrent? Quo modo haec concinant Cosattini praeterit. Quaeramus tamen nobisne, quae Menexenum sophistarum artis depravatam esse imitationem probare videantur, ad hunc sententiam accedere persuadeant. Luchaire et Cosattini philosophum opinantur oratione rhetorice ornanda, rhetorum dicendi genus et vitia reprehendere, ita tamen ut nemo possit in errorem induci; ac dein, cum funebris oratio sit a femina confecta, ex Socratis mente sophistarum rhetoricam artem in contemptionem adduci asserunt, non secus ac si Plato epidicticum dicendi genus virile non esse dicat.

Asserunt denique Atheniensium rei publicae laudes tantum per ironiam factas esse. Cum vero omnes eadem re, qua Lysiae epitaphius, Menexenum esse compositum censeant, hoc posito, dialogus epitaphii depravata imitatio nobis est considerandus, quippe qui eadem Lysiae vestigia, nullo modo adhibito, ingrediatur. Sed hoc verum non esse quam amplissime demonstrabitur. Praeterea, etiam si praetermittere velimus Aspasiam non flocci esse faciendam, So-

(1) Ibidem.
(2) Op. cit., pag. XIX.
(3) Op. cit., pag. XII.

cratis verbis quibus oratio Aspasiae adscribitur, vis esse non potest nisi quae eisdem fere verbis in Convivio est, ubi, cum Socrates de amore sententias suas tradat, orationem quam est dicturus a Diotima Mantineensi pronuntiatam esse asserit (1). Aut, si a nobis dissidere nolumus, tunc quoque Plato cum cuidam feminae orationem illam adscribit, sua praecepta de amore haud viro esse digna absurde significat.

Neque est denique in sententia perseverandum Platonem Rei publicae octavo libro de Atheniensium societate « *une mordante satire* » (2) scripsisse. Atheniensium res publica non erat certe ex Platonis mente constituta; sed eius aciem fugere non poterat ex omnibus Graecis Athenienses tantum a singulari quadam rei publicae imagine animo concepta minus discrepare. In Legibus autem, ut sane patet, pro philosophorum re publica, quam civitatem philosophorum arbitrio rectam appellare possumus, quidam optimatium dominatus iure nisus possidendi substituitur, cuius leges de educatione et muneribus, de magistratibus ceterisque institutis cum Atheniensium re publica nonnullas habeat similitudines. Athenienium civitas non erat sapientium dominatus, sed dubium non est quin Athenis magistratus ac principes sint a populo creati, atque muneribus praefuerint qui digni visi fuerint. Philosophus asserit, sive Atheniensium civitatem optimatium sive populi imperium appellamus, summam rerum omnium semper penes populum fuisse, eosque rei publicae praeesse qui civitati optimi visi sint: ὁ δόξας σοφὸς ἢ ἀγαθὸς εἶναι κρατεῖ καὶ ἄρχει. Etiamsi haec non sine quadam ironia atque ambiguitate interpretari velimus, rebus quas Pericles apud Thucydidem, ut supra dix-

(1) Pag. 201 D.

(2) Luchaire, op. cit., pag. V.

thus, atque Aristoteles, in libro qui Πολιτεία Ἀθηναίων inscribitur, asseverant, nonne fidem habeamus? Aristoteles, cum de restituto populi imperio disseruerit, adiungit:

Ἑνδεκάτη δ' ἡ μετὰ τὴν ἀπὸ Φυλῆς καὶ 'εκ Πειραι ἕως κάθοδον, 'αφ' ἧς διαγεγένηται μέχρι τῆς νῦν, 'αεὶ προσεπιλαμβάνουσα τῷ πλήθει τὴν 'εξουσίαν. Ἁπάντων γὰρ αὐτὸς αὑτὸν πεποίηκεν ὁ δῆμος κύριον, καὶ πάντα διοικεῖται ψηφίσμασιν καὶ δικαστηρίοις. 'εν οἷς ὁ δῆμός 'εστιν ὁ κρατῶν (1) —.

Ceterum Plato quasdam rei publicae formas castigat, at non Atheniensium instituta ac leges. Ille enim ex Guillelmi Christ sententia (2) in VIII et IX Rei publicae libris Dionysio priore atque Lacedaemoniis, tamquam exemplis, ad tyrannidem paucorumque administrationem exprimendas utitur.

Ex rebus quas Plato de divitiis, quasi iure et norma rei publicae administrandae, commentatur, unde mala permulta proficisci asserit, perspicuum est eum paucorum dominatum castigare, minime igitur Athenienses, qui nunquam diu paucorum fautores fuerunt, (pag. 551 B) (3). Athenienses potius significare videtur, cum non sine quadam ironia de populi imperio agit (4). Descriptio tamen populi dominatus civitatis esse non potest descriptio, quoniam si ita existimamus, tamquam ad scopulos, ad certos errores allidimur. Athenis vero quaslibet partes sequendi potestas nunquam impedivit quominus administratores ex sua sententia rem publicam regerent, quod contra Plato, populo imperante, evenire adfirmat (5), atque bellum fac-

---

(1) XLI. 2.
(2) Griech. Lit. pag. 460.
(3) Est locus quem Cosattini — op. cit., pag. IX — indicat.
(4) Pag. 357 D.
(5) Pag. 357 E, 358 A.

tum est quotiescumque a re publica decretum est, neque proscripti, legibus repugnantibus, per vias urbis libere deambularunt. Plato, me iudice, argumentationis causa, haud ex re populi imperium descripsit, ut quam maxime essent vitia perspicua.

Menexeni cum Lysiae epitaphio comparatio eorum dissensionem ostendet.

Lysias rhetorico motu incipit ac rhetorice res ornat, cum dicendo se tantum cum illis qui antea locuti sint certare asseveret; res denique in maius fert cum peremptorum virtutem infinitam et immensam materiam praebere adiungat ut, cum multa et pulchra dicta sint, multa tamen et pulchra exstent. Tales esse debent orationes quas, ex Socratis sententia, facile est ex improviso dicere. Tanta non est tamen materies, Lysias enim sine causa ad fabulas venit easque amplissime narrat, quas Plato cum causa summatim tantummodo ac paucis absolvit.

Locus qui de Amazonibus tractat nil aliud est apud Lysiam nisi figurarum atque verborum sententiarumque contentionum acervus. Bellum in Thebanos pietate illatum esse dicitur. Plato res ipsas attingens quaedam manifeste in illos dicit qui, ut Lysias, ea quae sint a poetis memoriae tradita, tractent.

Stirpis originem, de qua fusius Plato disputat, breviter Lysias perstringit. Plato autem Atticorum magnanimitatem naturalem esse atque e terra, matre haud noverca, faventibus diis, ortam existimat; Lysias vero Athenienses, iustitiae maiorum aeternandae desiderio, concordibus animis iunctos semper a iustis stetisse adfirmat. Apud Platonem igitur terrae deorumque, apud Lysiam hominum laudes excellunt atque eminent. In Menexeno est autem manifestum quoddam disputandi studium, cum Ly-

sias, ut antea Thucydides, Atheniensium rem publicam populi imperium esse dicat ac Plato: Ἡ γὰρ αὐτὴ πολιτεία καὶ τότε ἦν καὶ νῦν 'αριστοκρατία 'εν ᾗ νῦν τε πολιτευόμεθα καὶ τὸν ἀεὶ χρόνον 'εξ 'εκείνου ὡς τὰ πολλά. Ac deinde: καλεῖ δὲ ὁ μὲν αὐτὴν δημοκρατίαν κ. τ. λ. —

Apud Lysiam quae sit persici belli causa, quam Plato verbis designat, non perspicitur. Est tamen notandum belli causas a Dario oppositas haud omnino fundamentis carere (1), nisi forte Plato, mea quidem sententia, XX navibus post cladem ad Ephesum retractis atque Atheniensibus Mycales conventu carentibus, odii causam regi ademptam ess· putat. Res dein ad Marathonam gestas Lysias in adulationem dicendo auget, ac de Ere triensibus tacet. Persas dicit primum in Athenienses venisse cum sibi exploratum haberent eos omni modo Graecis liberaliter subventuros esse. Hoc plane rhetoricarum contentionum gratia rerum fidem corrumpit; Persae enim, ut Plato adfirmat atque inter omnes constat, primum ad Eretriam delendam incesserunt; deinceps, Eretria capta, ad Marathonam contenderunt. Hic etiam Plato Lacedaemones auxilio venisse recordatur, qui tamen proelio interesse non potuerunt. Itaque, hoc mihi persuasum habeo, vera et ficta, quae Lysias quodammodo confundit, diiudicare contendit. De viris autem qui ad Artemisium atque ad Salamina proeliis secundis usi sunt, quod præcipue decorum videtur, commemorat: Graecos per eos metu cum Barbaris pugnandi, qui invicti κατὰ θάλατταν πλήθει καὶ πλούτῳ καὶ τέχνῃ καὶ ῥώμῃ haberentur, solutos esse. Lysias contra res post Marathoniam pugnam gestas pluribus verbis explicat, omniaque ad temporum rationem revocat, nec

(1) V. Herod., V, 101. Iure hoc adnotant Cosattini et Luchaire. Cui vero orator Atheniensium vim in Sardis infitiari videtur. Hoc tamen, quantum perspicio, pro certo adfirmare non licet.

Athenienses dubitatione non aestuasse addit, utrum hostium incedentibus agminibus obsisterent an, urbe relicta, mari fortunam belli tentarent; eos autem in hanc sententiam ivisse adfirmat, perinde ac si ita totius Graeciae saluti potius quam sibi consulerent. Quo modo sit dein ad Plataeas proelium factum enarrat. At apud Platonem res omnes ad Eurymedonta, ad Cyprum atque in Aegypto gestae, quas Lysias silentio praeterit, eo spectant ut Atheniensium virtutem naturalem esse demonstrent ('ἀγαθοὶ δ'ἐγένοντο διὰ τὸ φῦναι 'εξ ἀγαθῶν — pag. 237 A).

Lysias autem ne strictim quidem res bello Boeoto Peloponnesiaco et Siculo gestas, haud omnino ex sententia ad propositum peragendum accomodatas, attingit, cum Plato, quod sciam, studio, et Tanagram Oenophytam Sphagiamque et bellum Siculum et maritimam expeditionem qua, duce Alcibiade, Athenienses ad Cyzicum, ac dein, Conone Mytilenis circumsesso, duce Thrasillo, ad Arginussas victoriam sunt adepti, memoret. Nec breviter Aegosfluminis cladem non significat cum exclamet: « victi sumus nostra discordia non hostium virtute ». Hoc plane dubium non est, quoniam cladem illam partium contentio attulit; tunc enim rei publicae dissensiones omnia perturbarunt et paene leges nullae, nulla fuere iudicia. At si Plato per iocum atque ludum civitatem laudavisset, hic ne in brevi quidem conspectu res male gestae ponendae erant, aut eadem ironia erant reddendae. Lysias vero, ut eo, unde egressa est, referat se oratio, Aegosfluminis cladem significat, hoc animo ut Atheniensium imperium Graeciae saluti esse demonstret, ac dein ad Cnidiam pugnam dicendo festinat, ubi Lacedaemones, duce Pisandro, a Persis, duce Conone, victi sunt. Utraque oratio civile bellum Piraeum denique memorat, de quo Lysias uberius dicit, atque, studio rerum amplificanda-

rum provectus, longos muros, post pugnam ad Cnidum aestate anni CCCXCIII a Conone auro Pharnabazi partim restitutos (1), a popularibus hominibus qui Piraeum convenerant exstructos esse asseverat, cum modo Socrates res civilis belli secundas a moderato et concordi civitatis statu proficisci adfirmet, atque ad sacrificia hortetur, ut et perempti veluti superstites pacem inter se concilient. Nec temporum memoriam ad fidem historiae non replicat, cum Athenienses, optimatium dominatu refracto, liberos Graecos servitute a Lacedaemoniis affici passi sunt. Res summas denique belli Corinthiaci attingit: de Argivorum, Boeotorum Corinthiorumque foedere, de necessitudine Persarum regis sibi Athenienses socios asciscendi, ac de civitatibus in libertatem vindicatis, quas demum Antalcida anno CCCLXXXVII iterum in servitutem abduxit, paucis dicit. Res tamen hic quoque significat, quarum veritatem ne coniectura quidem in praesenti assequi possum; certe equidem, ut supra dixi, sunt quae Luchaire et Cosattini adnotant recusanda. Bene in peroratione mortui loquentes introducuntur: se turpi vitae mortem praetulisse, ratos vivere non posse qui necessarios infamia polluerint. Nati fortiter vivant; absque virtute opes et omnia vilia esse. Divitias venustatemque evidentiorem socordiam reddere; scientiam ipsam remotam ab iustitia atque virtute calliditatem potius quam sapientiam esse appellandam. Nil turpius nati existiment quam « *famae aliorum incumbere* »; ac rebus a maioribus gestis veluti thesauro ex quo flagitiosum sit detrahere utantur. Iisdem de rebus orator etiam atque etiam hortatur.

Aliter igitur Socrates perorat ac Lysias. Praeterea ex utriusque oratione perspicuum est alterum singillatim

---

1) V. Xen., IV, 8, 7-10.

quod alter omittit commemorare atque maxime Atheniensibus de virtute praecipiendo id quod expetit consequi. Itaque Platonis opus quomodo sit funebris oratio conficienda demonstrat, quam ob rem per iocum ludumque scriptum non est.

Si missis ambagibus Hyperidis funebrem orationem legendo percurrimus, in sententia certe manebimus. Patet enim Hyperidem haud rhetorice ut Lysias initium facere dicendi. Timet ne oratio sit admodum Leosthene, militibus ac rebus ab iis gestis indigna: deinceps ad mortuos laudandos, sicut Socrates, ex quo sibi exemplum sumit, civitatem laudat, quae omni studio in bellum incubuit, ut maiorum virtutes aeternarentur. Fabulas tamen ab heroicis temporibus non repetit, memor quae a Platone sint scripta « ταῦτα μὲν οὖν διὰ ταῦτα δοκεῖ μοι ἐᾶν. ἐπειδὴ καὶ ἔχει τὴν ἀξίαν κ. τ. λ. » — Breviter Athenienses aborigines esse perstringit, ac res summas eorum rei publicae attingit. Haec tamen paucis absolvit, cum id sibi ostendendum existimet, quanta sint beneficia in Athenienses atque in omnes Graecos a peremptis collata. Non secus ac Plato deinceps Graecos asserit pugnae locum bis in anno adituros ad peremptorum virtutem concelebrandam (1), atque dulce et decorum esse eorum fatum adfirmans (VIII, 24) (2), graviter ac sententiose addit: φέρει πᾶσαν εὐδαιμονίαν, aut, ut Piccolomini emendat, ἔρρει γὰρ πᾶσα εὐδαιμονία ἄνευ τῆς αὐτονομίας κ. τ. λ. — At Plato haec in scriptis reliquerat: ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα... τούτῳ ἄριστα παρεσκεύασται ζῆν κ. τ. λ. — Itaque re ac pene verbis philosophus et orator inter se concinunt. Hype-

(1) Plat., pag. 248 B.

(2) Hoc et apud Lysiam (XI, 79) Isocratemque (V, 109) scriptum videmus.

ridis autem rogatio «τίνες δὲ ποιηταὶ καὶ φιλόσοφοι λόγων καὶ ᾠδῶν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἀπορήσουσι περὶ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς;» atque Platonis sententia « ὧν δὲ οὔτε ποιητής πω δόξαν ἀξίαν ἐπ' ἀξίοις λαβὼν ἔχει, ἔτι τ' ἐστὶν ἐν ἀμνηστείᾳ, τούτων πέρι μοι δοκεῖ χρῆναι ἐπιμνησθῆναι ἐπαινοῦντα τε καὶ προμνώμενον ἄλλοις ἐς ᾠδὰς κ. τ. λ. » — pag. 239 C — quoddam habent commune vinclum et quasi cognatione quadam inter se continentur. Praeterea in propositione ita Plato laudationem conficiendam esse adfirmat ut peremptis honori ac superstitibus ad virtutem eorum imitandam sit incitamento — pag. 236 E —. Orator interrogat quid iis qui audiunt utilius sit peremptorum laudatione, si eorum commemoratio ad aliquid utilis esse debeat (XI, 34). Cum autem eorum fatum flendum non esse dicit (1), optime cum Platone convenit. Hoc posito sequitur ut Hyperides eius funebrem orationem, ut nos ipsi intellegimus, serio factam esse intellexerit, quam sibi exemplum quodammodo ad imitandum proposuerit; neque in controversiam vocandum est Hyperidem quoque Platonis scriptum haud recte intellexisse.

Constat plane inter omnes sophistas in Phaedro eorumque rhetoricam artem, ut Cosattini adnotat (2), flocci haberi, atque eloquentiam in Gorgia ἄλογον πρᾶγμα appellari; at aliquid, quod sciam, inter hoc et dicendi artis despectionem interest. Neque a veritate desciscimus, si opus Platoni adscribendum non esse asserimus, cum, clementes in disputando, cum iis consentiamus, qui Me-

(1) Lego — XII, 42 —: οὐ γὰρ θρήνων κ. τ. λ. — Οὐ est nostri Leopardi emendatio ab exquisito artis iudicio profecta. Et cum orationis elatione atque altitudine non concinit.

(2) Op. cit., pagg. XII sq.

nexenum generis epidictici depravationem esse interpretentur. Hoc enim sumpto Menexenus virtutibus careret, quibus ceteri Platonis dialogi sunt praediti, cum ex omnibus sit perspicuum, maxime ex illis qui in contrarias partes aliquid disputent, Socratem non modo inventa et captiones philosophorum discutere ac saepe per ludum et iocum adversarios evertere, sed etiam hinc ratione et via ad sua praecepta progredi. Cum vero dialogi qui γνωριστικοί ex Aristotelis (1) partitione appellari possunt, tum etiam qui ζητητικοί appellantur, quod Socrates sentit, clare atque evidenter ostendunt et demonstrant. Hoc tamen de Menexeno adfirmare nequimus, si Socratis funebrem orationem totam generis epidictici depravatam imitationem esse arbitramur, quam antiqui non conspexerint. At Luchaire (2) opinatur Platonem, si vulgus iocum intellexisset, rustice in iocando dicturum fuisse. Num igitur vulgus est tota Atheniensium civitas, quae orationem quotannis pronunciari iussit, Hyperidesque qui eam imitatus est?

Plato autem non modo facetiis et ironia utitur, ut adversarios evertat, in dialogis quibus praesertim de rhetorum ac sophistarum arte disputet. In Gorgia cum rhetoricam artem speciem tantum habere sapientiae, tum etiam philosophiam dignius esse munus disseritur. Dialogo qui Meno inscribitur veri inquisitio atque investigatio, et alias incepta, virtusne doceri possit, peragitur; ac Theaeteto disputatio de sapientia eo usque adducitur ut a sensu (αἴσθησις) ad animi perceptiones (ἀληθὴς δόξα μετὰ λόγου) perveniamus.

Sophista atque Politico qui cum Theaeteto aptissime cohaerent, non modo rhetoricam artem sophistarum et

(1) Met., III, 2.
(2) Op. cit., pag. IX.

philosophiam iudicat (1) ac totam eorum rationem evertit, sed etiam suam disserendi artem suaque praecepta tradit. At res summas quae in Protagora disputantur attingamus. Socrates efficit ut Hippocrates se nescire fateatur (2) quae sit sophistarum sapientia, eique persuadet ne sophistis se committat et credat, qui, cum ipsi sint boni et mali inscii, sicut mercatores tabernariique sua omnia venditent. Protagoras dein sibi evidenter non constat, cum Socrati in disputando adversatur, qui virtutem doceri non posse adfirmat, ac postea se unum atque idem cum eo sentire adiungit, sed tamen sententiam suam fronte non tegit ac quod sentit dicit (3), neque Protagorae confessionem dissimulat et occultat. Prodici (4) autem et Hippiae (5) sermones consulto sunt sophistarum exaggeratae orationis imitationes; quod Socrates de Simonidis carmine commentatur, item: manifesta sunt enim paradoxa, cum hoc loco sapientiae principatus incultissimis Graeciae regionibus tribuatur et huc accedat quod diffusa et dissipata digressio conglutinatur ac Simonides Pittaci sententiae contradicendo eius famam extenuare dicitur. Haec plane sophistarum dicendi generis est depravata imitatio; at demum sua quoque disserendi arte Socrates eo animo utitur ut ad philosophandi rationes virtutem revocet, quae, ut Hermann (6), Zeller (7) et Ferrai (8) interpretantur, sapientia nititur. Dignae sunt denique

(1) V. Soph., pag. 221 C., 226 A; Pol., pag. 493 A; Soph., pag. 226 B, 231 C.

(2) Pag. 312 E.

(3) Pagg. 333 E. 334 A, 335 A.

(4) Pag. 337.

(5) Pagg. 337 sq..

(6) Gesch. und Syst. d. pl. Phil., Heidlberg, 1839, pag. 437.

(7) Plat. Stud., 1839, pag. 161.

(8) Dial. nuov. tradotti, I, pag. 435.

quae animadvertantur similitudines inter Phaedrum Menexenumque. Utriusque ansam dat Socrates, cum amicis occurrat atque Phaedro eius orationem sua magni interesse asserat, et Menexeno epidicticas orationes se magni facere ostendat. Idem praeterea, quod Menexenus, Phaedrus de rhetorum dicendi arte iudicat; ac dein eadem ironia Socrates utitur, quae vero Menexenum et Phaedrum non fugit, cum epidicticam eloquentiam dicendo amplificat — pag. 235 A B — et Phaedro, ut Lysiae orationem de scripto habeat, haec inquit: σὺ μέντοι δοκεῖς μοι τῆς 'εξόδου τὸ φάρμακον εὑρηκέναι ὥσπερ γὰρ οἱ τὰ πεινῶντα θρέμματα θαλλὸν ἢ τινα καρπὸν προσείοντες ἄγουσι. κ. τ. λ. »

Eisdem fere verbis se posse subito orationem habere, ac, cum timeat ne ridiculus videatur, dicendi initium facere nolle asseverat. Deinde ad dicendum aggreditur. In Phaedro duas orationes pronuntiat, quarum altera tantum Platonis sententias serio tradit; in Menexeno ironiam, quae est ab initio, funebris oratio sequitur, quae serio est confecta. Id enim quod diximus, et contrariis argumentis refutandis et Menexeno cum aliis Platonis dialogis comparando, obtinuimus.